4° Diss. 3591 (1

CHRISTIANI THOMASII ICTI
POTENTISSIMO PRVSSORVM REGI A CONSILIIS INTIMIS
ACADEMIAE REGIAE FRIDERICIANAE DIRECTORIS, PROFESSORIS
IVRIS PRIMARII ET ORDINIS ICTORVM PRAESIDIS

TRACTATIO IVRIDICA,
DE

NORICORVM CAVSIS ADIMENDI LEGITIMAM.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
LITTERIS HENDELIANIS, 1751. (6)

<36609978550017

<36609978550017

Digitized by Google

TRACTATIO JURIDICA, DE NORICORUM CAUSIS ADIMENDI LEGITIMAM.

SUMMARIA.

Communis negligentia juris patrii & statutorum Germaniæ. §. I. *Quæ tamen commode saltem in disputationibus exponi debebant.* §. II. *Transitus ad thema præsens.* §. III. *Legitimæ, ex jure civili oriundæ computatio Jure Norico eadem, quæ jure civili.* §. IV. *An Legitima Jure Norico etiam titulo Legati relinqui possit? sententia affirmans.* §. V. *Sententia negans.* §. VI. *Causæ exheredandi liberos.* §. VII. *Prima, si quis parentibus manus intulerit.* §. VIII. *Secunda injuriæ graves.* §. IX. *Tertia accusatio parentum.* §. X. *Causa quarta Juris Romani, si filius se societ maleficis seu magis in Reformatione Norica omissa.* §. XI. *Cur id factum.* §. XII. *Quarta causa reformationis Noricæ si struant insidias vitæ parentum.* §. XIII. *Quinta si vitiet cubile Paternum vel maternum.* §. XIV. *Sexta, si filius vel filia parentes obæratos fidejussione vel alio modo liberare nolit.* §. XV. *Quia videlicet*

licet jure Norico ceſſat SCtum Vellejanum. §. XVI. *Non, ſi fidejubere recuſaverint pro patre mutuum accipere volente: An requiratur carcer ſqualidus, an ſufficiat cuſtodia ſimplex?* §. XVII. *Cauſam exheredationis ſi liberi grave damnum dederint parentibus per falſam delationem, omiſit reformatio Norica.* §. XVIII. *Septima, ſi prohibuerint teſtari.* §. XIX. *Octava, ſi lenocinium exerceant, aut carniſiecs fiant vel funambuli.* §. XX. *Arenarii qui?* §. XXI. *Arenariorum ex liberis hominibus varia fama ſub primis Imperatoribus.* §. XXII. *Ulpiani tempore arenarii ob pretium infames.* §. XXIII. *An hic etiam intelligantur, qui abſque mercede pugnarent?* §. XXIV. *An, qui ſaltem operas ſuas locaſſent?* §. XXV. *Arenarii an ſub Imperatoribus Chriſtianis?* §. XXVI. *Sub Mimis etiam comprehendi actores fabularum in Comœdiis.* §. XXVII. *Sed qui actionibus iſtis quæſtum facerent.* §. XXVIII. *Intentio Compilatoris antiquæ reformationis Noricæ parum apta.* §. XXIX. Katzenritter *quid denotet.* §. XXX. *Et cur ita dicti.* §. XXXI. *An ſub his comprehendantur pugiles hodierni,* die Federfechter und Marxbrüder. §. XXXII. *Cur in poſteriore Reformatione Norica ad hanc claſſem non fuerint relati Comici Actores?* §. XXXIII. *Cur hodie non referantur.* §. XXXIV. *Cur Lenones & Lenas retulerint?* §. XXXV. *Cur Carnifices?* §. XXXVI. *Cur Funambulos? An in jure Saxonico per* Spielleut *denotentur Funambuli?* §. XXXVII. *Quid in reformatione denotetur per perſonas ſimiles.* §. XXXVIII. *Hactenus dicta intelligenda ſunt de iis, tantum, qui ejusmodi ſtatibus ſunt addicti, &c.* §. XXXIX. *Maxime vero hic conſideranda variant opinio populi, de vilitate & honeſtate perſonarum.* §. XL. *Nona cauſa: Filia ſi meretrix. Collatio reformationis prioris, poſterioris, & Juris Romani.* §. XLI. *Cur in reformatione omiſſus caſus nuptiarum filiæ adultæ invito patre?* §. XLII. *Cur Reformatio intuitu filiarum poſuerit annum 22. tanquam terminum poſt quem poſſit nubere mortuo patre?* §. XLIII. *Reformatio poſterior poteſtatem exheredandi extendit, etſi filia poſt 22. ætatis annum facta*

fuit

Digitized by Google

fuit meretrix, contra reformationem priorem & leges Romanas. §. XLIV. *Defenditur juſte id factum eſſe tam intuitu reformationis prioris.* §. XLV. *Quam intuitu juris Romani.* §. XLVI. *Non ergo patrem poſſe exheredare filium ſtupratam, tam de jure civili.* §. XLVII. *Quam per Reformationem Noricam.* §. LXVIII. *Decima cauſa, ſi derelinquant parentes furioſos, aut alias graviter decumbentes & extreme pauperes.* §. XLIX. *Cur in Reformatione omiſſus caſus de redemtione parentum captivorum?* §. L. *Cur omiſſa itidem heterodoxia liberorum?* §. LI. *Sententia aliorum.* §. LII. *Sententia noſtra.* §. LIII. *In cauſa exheredandi parentes nihil novi occurrit.* §. LIV. *Quid juris ſit circa fratres?* §. LV.

§. I.

Uotidiana experientia teſtis exiſtit omni exceptione major, quod quamvis ipſa Ordinatio Cameralis *P. 1. Tit. 13. §. 1.* in Germania noſtra pronunciandum eſſe dicat nach ländiſchen Ordnungen, Statuten und redlichen erbahren Gewohnheiten der Fürſtenthumen, Herrſchaften und Gericht, & præterea prudentiores ex JCtis noſtris rei evidentia convicti jam dudum conceſſerint, Jus Romanum apud Germanos non aliter, quam Jus ſubſidiarium conſiderari poſſe; nihilominus tamen in Academiis nil niſi illud jus ſubſidiarium doceatur, poſthabito penitus illo, quod ordinarium eſt, & ſic citra controverſiam ſubſidiario præferri merebatur. Hoc unico ex Academiis Studioſi dimitti ſolent ſolamine, ſcilicet facillimum fore, ut ad patrios lares reverſi ibique otium

majus, quam diligentia Academica concedebat, nacti, jus Romanum cum jure ſtatutario & Provinciali conferant, & quatenus alterum ab altero recedat, accurate inquirant.

§. II.

Equidem facile concedo, ſpeciem impoſſibilitatis præ ſe ferre, ſi quis docentes eo adſtringere conaretur, ut Auditoribus ex tot Provinciis Germaniæ cujusvis loci jura & conſuetudines peculiares ex fundamentis ſuis uno in collegio explicent; ſed exinde tamen non ſtatim ſequitur, omne omnino juris Provincialis ſtudium in Academiis negligendum eſſe. Imo, quo magis illud hactenus a nonnullis neglectum fuit, eo majorem laudem meretur, qui ejusdem explicationem pro viribus in ſe recipit, quod præcipue per diſputationes publicas commode fieri poſſe, nemo eſt qui diffiteatur. Vereor ſane, ne is, qui omnis juris Patrii ignarus, rebus tamen civilibus expediendis in Patria ſe applicare intendit, eandem ſæpe exprobrationem audire cogatur, qua Servium, Oratorem Ciceroni vix poſtponendum, excipiebat Quintus Mutius, JCtus, *turpe eſſe Patricio & nobili & cauſas oranti jus, in quo verſaretur, ignorare,* apud Pomponium in *l. 2. §. 43. ff. de O. I.* Ejusmodi autem ignorantia non poteſt non exinde provenire, ſi ſtudium Legum Provincialium usque poſt diſceſſum ex Academiis differtur.

§. III.

His mecum probe perpenſis, dum de themate aliquo Diſſertationis inauguralis ſollicitus eram, illi facile prærogativam conceſſi, quod ex Reformatione

ne Noribergenſi in materia *de cauſis adimendi Legitimam, ſive exheredationis* ſeſe mihi offerebat, cum partim dictam Reformationem in nonnullis a diſpoſitione juris Romani deflectere viderem, partim quoque aliqua exinde clarius & ad mores noſtros convenientius explicari poſſe animadverterem. Scio quidem Clariſſimum JCtum B. Joh. Hieron. Wurffbain, jam ante multos annos *de differentiis juris civilis & Reformationis Noricæ* eruditum tractatum edidiſſe, in quo opere nihil intactum manſit, quod ad differentias utriusque juris referri poſſet; interim tamen, cum ipſius intentio non fuerit, ut ſingulas materias ſpeciales fuſe pertractaret, hinc oleum me & operam perditurum eſſe non metuo, ſi de cauſis adimendi Legitimam, quatenus illæ a jure Romano interdum recedunt, nunc paulo uberius, ea tamen ſimul qua fieri poteſt brevitate, diſſeruero.

§. IV.

Quæſtiones de conceptu Legitimæ, nec non utrum ea ex jure naturæ, aut civili deſcendat, item, an ex jure naturæ formaliter aut materialiter debeatur, prout philoſophatur poſt alios Lauterbach. *in compend. jur. tit. de inoff. teſtam.* in præſenti ſequeſtrabimus, cum jam alibi Dn. Præſes *in diſſert. de Legitima viventis c. ult. §. 23. ſeq.* ſatis perſpicue oſtenderit, Legitimam liberis jure naturæ non deberi, neque id in jure Pandectarum aſſeri. Illud nobis hic ſolummodo obſervaſſe ſufficiat, quod Legitima juxta Reformationem Noricam ex jure perfecto (unde *P. 3. Tit. 29. leg. 3. §.* Wann ein Vater, vocatur die Noth-Erb-ſchaft) Liberis & Parentibus debeatur, non autem fratri-

fratribus & aliis collateralibus, *d. Tit. 29. leg. 8. Nov. 18. cap. 1.* disposítum est. Pertinent huc verba *Tit. 29. leg. 3.* Und würde die Legitima also gerechnet. Wann ein Vater oder Mutter, eins, zwey, drey oder vier Kinder verläßt, so ist die Legitima nach Bezahlung der Schulden ein drittheil aller verlassener Haab und Güther. So aber die Kinder fünffe oder mehr seyn, so ist die Legitima der halbe Theil derselben Verlassenschaft. Und werden in beyden Fällen die Mannlehen in die Legitima nicht gerechnet.

§. V.

Antequam vero ad ipsas exheredationum causas progredior, præmittenda adhuc erit quæstio: *utrum de jure Noribergensi Legitima titulo institutionis necessário sit relinquenda, an vero titulus Legati etiam sufficiat?* Dn. Wurffbain *in tract. ant. cit. class. 1. membr. 2. sect. 1. thes. 20.* in eam sententiam inclinat, quod dictum jus ad jus civile antiquum rediisse videatur, quo quolibet titulo vel Legati, vel donationis m. c. vel fideicommissi relinqui poterat Legitima, *l. 8. §. 6. ff. l. 30. C. de in off. testam.* cujus suæ sententiæ fundamentum ex *Reform. Nor. P. 3. Tit. 29. leg. 3. §. pen. ibi:* Wann aber die Kinder nicht gar umgangen oder enterbt, sondern ihnen etwas verordnet worden, desumere voluit. Et fatendum etiam est, vocem: Verordnen in Reformatione Noribergensi tam de heredis institutione, quam de Legatis prædicari, *v. P. 3. tit. 31. Leg. 1. ejusque rubr. & init.* unde porro infert Autor modo citatus, quod quemadmodum verbum: *relinquo*, certæ rei vel quantitati adjectum, in jure Romano Legatum significat: ita quo-

que

que hic idem de voce: Verordnen aſſerendum ſit, quia in *cit. tit. 29. leg. 3. §. pen.* dicitur: etwas verordnen, & ſic illa rei particulari non minus adjecta deprehenditur.

§. VI.

Nobis tamen ſententia adverſa videtur veroſimilior. Nolumus equidem ex principiis vulgo receptis afferre, ſtatuta ex jure Romano recentiori tanquam jure communi explicanda eſſe, ut ab eo quam minime recedatur, juxta hoc autem inſtitutionis honorabilem titulum requiri; Nam ſcimus iſtud brocardicum multis limitationibus aliisque dubiis eſſe obnoxium. Neque opus habemus, ut ad illud recurramus, cum alia ratio occurrat, eaque evidens & certa, quæ ex *Tit. 29. leg. 4.* deſumi poteſt. Verba ibi reperiuntur ſequentia: Wiewol in gemeinen Rechten die Erbſatzung (heredis inſtitutio) in einem jeden Teſtament für das Hauptſtück gehaltet würde, jedoch zu Handhabung des Teſtirers willen ſollen die Geſchrift und Ordnungen, obgleich darinn kein Erb benennt wäre, für kräftig gehalten und vollſtreckt werden. Hactenus ergo Reformatio noſtra a diſpoſitione juris Romani recedit. Sed mox ſubſequitur: So aber in ab- oder aufſteigender Linie einer oder mehr Erben im Leben wären, im ſelben Fall ſollen die Ordnungen und Satzungen gemeiner Recht nicht aufgehebt ſeyn. Ex quibus verbis ſat liquido apparet, Autores Reformationis ſucceſſionem deſcendentium & aſcendentium, quibus Legitima debetur, eodem modo determinare voluiſſe, prout Leges Romanæ eandem determinarunt. Quod enim per vocem:

Gemeine Recht, jus Romanum indigitetur, haud obscure ex *P. 3. tit. 29. leg. 1. init.* colligi potest, ubi dicitur, daß die gemeine geschriebene Recht mancherley Ordnung geben, in was Gestalt und mit was Zierlichkeiten, die Testament und letzte Willen aufgericht und erzeugt werden sollen, tales vero solennitates nullibi, præterquam in jure Romano deprehenduntur.

§. VII.

Accedo nunc ad ipsas exheredationum causas. Primo autem ad ductum Reformationis de illis agendum erit, *ex quibus Parentes liberos suos exheredes scribere possunt.* Equidem Rittershusius *in expos. Novell. P. 6. Cap. 3. n. 10.* in ea opinione esse videtur, ac si apud Noribergenses quoad hasce causas a jure Romano non recedatur. Si quis, inquit, eas rotunde expressas videre desiderat, is legere poterit Reformationem Noribergensem, cui consentit Wurffbein *cit. loc. thes. 24.* nullam causam omissam esse adstruens, quæ non ad expressas in Reformatione referri queat; Verum quemadmodum ipse Rittershusius paulo post agnoscit, quod numerus causarum exheredationis tam in exheredatione parentum, quam in exheredatione liberorum paulo minor sit: ita quoque ex subsequentibus liquido ulterius apparebit, nonnulla deprehendi in jure Romano, quæ ad causas in Reformatione Norica expressas vel plane referri nequeunt, vel ad minimum tamen non eodem modo, prout in jure Romano habentur.

§. VIII.

Decem vero causæ sunt, ob quas Parentes Norici liberos suos portione legitima privare possunt, unde-

undecima enim, quæ olim quoque Reformationi inſerta erat, in recentiori editione de An. M. D. LXIV. omiſſa eſt, de quo ſuo loco dicendum erit. *Prima in Reform. P. 3. tit. 29. leg. 4.* hæc eſt: So die Kinder oder Enigklin (& ita in reliquis deſcendentibus) frevle Hand an die Eltern gelegt und ſie geſchlagen hätten. Conſpirat *Nov. 115. cap. 3. §. 1.* exheredationem concedens, *ſi quis parentibus ſuis manus intulerit.* Vox: frevle Hand, ſatis clare indicat, non eſſe in Reformatione ſermonem de læſione Parentum *culpoſa*, nec de caſu, ſi quis Patri ſævienti reſiſtens *moderamine inculpatæ tutelæ* utitur, ſed de illatione manus ex malitioſo propoſito ſuſcepta.

§. IX.

Secunda cauſa eſt, ſo die Kinder den Eltern unehrliche Sachen oder Schmähungen zugemeſſen hätten, quæ itidem juri Romano convenit. Hoc tamen obiter ex utroque jure obſervandum, requiri *graves & inhoneſtas* injurias, unehrliche Sachen, oder Schmähungen zumeſſen, ut ſcilicet liberi Parentibus ſuis tale quid imputaverint, quod conceptum turpitudinis intuitu Parentum involvit. Unde quamvis Gothofredus *in not. ad d. Nov. 115. cap. 3. plerosque adducta verba ad quamcunque injuriam gravem extendere dicat;* non tamen videndum eſt, quid plerique extendant, ſed quo jure & ratione id faciant, aut facere poſſint. Dubito etiam de exemplo, quod idem Gothofredus *loc. cit.* adducit, *ut*, inquit, *ſi ſine patris conſenſu inhoneſtam uxorem duxerit;* quamvis enim hoc ipſo filius adverſus patrem peccet ejusdem conſenſum negligendo, non tamen eo ipſo inhoneſtam

injuriam patri infert, ergo etiam huic poteſtas exheredandi non competit, niſi forſan per jura provincialia aliud introductum fuerit, ut in Saxonia, vid. Carpz. *Jurispr. Eccleſ. l. 2. Tit. 3. Def. 54.* Quid ergo, ſi defectum corporis objecerit Patri filius? Quid ſi eum irriſerit? non puto filium exheredari poſſe, eundem tamen peccare omnino aſſero.

§. X.

Tertia cauſa, ſo die Kinder ihre Eltern um peinliche Sachen beklagt hätten, es wäre dann, daß ſolche Ubelthat und Laſter wider Käyſerliche oder Königliche Majeſtäten oder wider dieſe gemeine Stadt und derſelben Wohlfahrt fürgenommen und begangen wären. Non alia hic inter Reformationem noſtram & jus Romanum deprehenditur differentia, quam quod in *Nov. 115. c. 3. §. 3.* generaliter exceptio illa formetur, *quæ non ſunt adverſus Principem, ſive Rempublicam,* Reformatio vero hæc ſpecialius ad ſtatum Imperii noſtri applicet, & in illis caſibus liberis poteſtatem parentes criminaliter accuſandi concedat, ſi aliquid contra Imperatorem, Regem Romanorum, & Civitatem Noribergenſem ſuſceperunt, quod crimen læſæ Majeſtatis involvit. Ex quo obiter obſervare liceat, quam prope ſuperioritas territorialis, Statibus Imperii & inter eos Civitatibus Imperialibus competens, ad Majeſtatem accedat, dum plurimæ, quibus hæc pollet, ſingulares prærogativæ non minus etiam ſuperioritati territoriali tribuuntur, quod & in noſtra Reformatione hic factum.

§. XI.

Cauſas hactenus ex Reformatione adductas & cum

cum jure Romano collatas in *Nov. 115. c. 3. §. 4.* excipit quarta *ſi filius cum maleficis hominibus ut maleficus verſatur*, id eſt, ſi ejusdem cum ipſis eſt profeſſionis. Hæc in Reformatione Noribergenſi non deprehenditur. Nec eſt, quod dicere velis, illam ſub cauſa VIII. dictæ Reformationis contineri ibi: So die Kinder ein leichtfertig, unehrlich Leben und Weſen führeten; Maleficorum enim vocabulum juxta ſenſum juris Romani communiter accipitur pro magis, divinatoribus & aruſpicibus, prout ex *l. 5. C. de Malef. Mathem. & fin.* patet, v. Matth. Stephani *in Comm. ad Nov. 115. num. 18.* Gothofred. *ad rubr. C. d. tit.* aſt in Reformatione ein leichtfertig unehrlich Leben alio plane modo explicatur, prout ſuo loco deinde dicetur.

§. XII.

Ratio, cur Reformatio noſtra hanc cauſam omiſerit, absque dubio hæc eſt. Haruſpices (ex Harugarum, id eſt hoſtiarum & extorum, inſpectione ita dicti) artem ſuam plerumque in aliorum & Principum quoque haud raro necem exercebant, utpote de quorum ſive ſalute, ſive fine, a privatis conſulebantur, vel quia etiam haruſpicinam ſæpe contra publicam quietem & imperium populi Romani faciebant, prout hæc erudite tradit Jacobus Gothofredus *ad l. 1. & 2. Cod. Theodoſiani de Maleficis & Mathemat. & ceter. ſimil.* at vero tales in noſtris rebuspublicis ita frequentes non deprehenduntur, unde mutato ſtatu mutatur etiam Legum diſpoſitio. Et neſcio, an accurate procedant DD. nonnulli, quando crimen maleficorum de crimine latrocinii, vel alterius

rius cujusdam delicti ſocietate explicant, wenn einer in die Compagnie der Spitzbuben oder Räuber ſich begeben hätte, quod facere videtur Dionyſius Gothofredus *in notis ad d. Nov. 115. c. 3. §. 4.* Neque illi, qui hodie Geomantiam aut Chiromantiam profitentur, cum illis Haruſpicibus comparari ullo modo poſſunt.

§. XIII.

Progredior nunc ad eam exheredationis cauſam, quæ in Reformatione noſtra *quartam* conſtituit, & cujus tenor hic eſt: So die Kinder mit Gift oder in ander Weg, nach der Eltern Leben geſtellet, und die umzubringen unterſtanden hätten. Hæc cum jure Romano per omnia convenit. Illud ſaltem obſervo, quod quoniam non ſolum *Nov. 115. c. 3.* in genere *parentum* mentionem injicit, ſed etiam Reformatio Noribergenſis his formalibus: nach der Eltern Leben geſtellt, utitur, quod, inquam, non præciſe neceſſarium eſſe videatur, inſidias vitæ ſtructas fuiſſe *illi ex parentibus, qui filium in teſtamento exheredat,* ſed quod v. g. Pater etiam filium propterea exheredem ſcribere poſſit, quoniam vitæ matris inſidiatus eſt, & vice verſa.

§. XIV.

Quinta cauſa conſtituitur, ſo die Kinder mit der Stiefmutter, oder dem Stiefvater unziemliche Lieb und Werck getrieben hätten. In *Nov. 115. cap. 3. §. 6.* additur adhuc: ſi filius *concubinæ* patris ſe immiſcuerit, ſed hoc, poſtquam concubinatus ceſſat, in Reformatione noſtra jure merito omiſſum fuit. Conjunguntur præterea in Reformatione Stiefmutter und

und Stiefvater; ſed in *Nov 115.* ille ſaltem caſus exprimitur, ſi *filius novercæ ſuæ* ſe immiſcuerit. Quamvis vero hæc ita ſe habeant, ſuſtinere tamen non dubitamus, etiam de jure Romano matrem ex principiis interpretationis declarativæ filiam exheredare recte potuiſſe, propterea quod cum vitrico concubuerit, quoniam maſculinus ſexus communiter fœmininum etiam ſub ſe comprehendit, *l. 1. ff. de V. S.* Et ſic Reformatio cum jure Romano hac parte non quidem quoad verba, bene tamen quoad mentem & regulas interpretandi convenit.

§. XV.

In ſexta, exheredationis cauſa non exigua inter jus civile & Noribergenſe deprehenditur differentia. Hoc ita diſponit: So ein Sohn, Tochter oder Enigklin, ihre Eltern die Schulden oder anderer Sachen halben in Gefängniß gekommen, auf derſelben Anſuchen zu ihrer Erledigung nicht nach ihrem beſten Vermögen helfen noch für ſie gut oder Bürg werden wollen, ubi probe notandum ſermonem eſſe non ſolum von Söhnen, ſed etiam von Töchtern, & ita quoque ſub voce: Enigklin, & nepotes & neptes intelligi, Jus Romanum autem in omnia alia hic abit, quamvis enim ab initio *§. 8. Nov. 115. c. 3. liberorum, qui poſſint ab inteſtato ad ſucceſſionem venire*, in genere mentionem faciat, mox tamen hæc locutio generalis ſequentem in modum reſtringitur: *hoc tamen, quod de fidejuſſione cenſuimus, ad maſculos tantummodo liberos pertinere volumus.*

§. XVI.

Quænam vero hujus diverſitatis ratio? Hic ſane

ſane ad materiam fidejuſſionis in genere recurrendum erit. Scilicet jure Romano fœminæ ex præſtita fidejuſſione plane non obligantur, ſed ex SCto Vellejano ipſis non modo exceptio datur adverſus Creditores ex hoc capite agentes, *l. 8. & l. 20. C. ad SCtum Vellejan.* verum etiam, quamvis jam revera ſolverint, condictio indebiti ad ſolutum repetendum *l. 9. C. eod. l. 40. pr. ff. de condict. indeb.* Longe alia eſt ſententia Reformationis Noricæ, quæ de fidejuſſionibus mulierum ſequentem in modum diſponit *P. 2. Tit. 19. leg. 5.* Wiewohl die Weibsperſonen durch die Käyſerliche Recht der Bürgſchaft halben hoch verſehen und gefreyet ſeyn, jedoch nach Gelegenheit aller Handthierung dieſer Stadt und zu Handhabung gemeines Nutz, Trauens und Glaubens, ſo ſollen die Wittfrauen oder Jungfrauen, die achtzehn Jahr erfüllt und unbevormundt ſeyn und ihr eigen Gut haben, wann ſie ſich in Bürgerſchaft einlaſſen, verbunden und zu bezahlen ſchuldig ſeyn, allermaſſen und geſtalt, wie hievor der Mannsperſonen halben geordnet iſt. Desgleichen mögen die Ehefrauen, ſo in verdingter Heyrath ſitzen, ſich mit Wiſſen ihrer Ehemänner für andere in Bürgſchaft begeben und verpflichten.

§. XVII.

Diſputatur alias inter DD. utrum de jure civili filius propterea ſtatim exheredari poſſit, *quod pro patre mutuum accipere volente fidejubere recuſaverit?* Rationes in utramque partem adferri ſolitas fuſe recenſet Finckelth. *Obſ. 99. per tot.* & ſimul pro negativa decidit, quamvis optimam decidendi rationem omiſis-

omiſiſſe videatur, quæ ex verbis *Nov. 115.* ibi: *inclu-ſum eſſe contigerit*, deſumi poteſt. Eandem ſenten-tiam negativam juxta Reformationem noſtram ve-riorem eſſe, ſat liquido ex ejusdem verbis: die Schulden oder anderer Sachen halben in Gefängniß kommen, apparere videtur. Neque vero eſt, ut cum nonnullis inter *detentionem ſqualidam in carcere & nudam cuſtodiam in curia* diſtinguas & cauſam ex-heredandi ob denegatam fidejuſſionem ad priorem ſolummodo reſtringas, quod faciunt Scheffer *p. 2. quæſt. 2. num. 22. ſeqq.* Merlin. *de Legitima lib. 4. tit. 1. quæſt. 15. num. 1. ſeqq.* Stephani *de Nov. 115. n. 18. verſ. octava.* Nam & nuda cuſtodia in curia verbo *inclu-ſionis* & Gefängniß comprehenditur & mala manſio eſt, & imo de tali cuſtodia & jus Romanum & Nori-bergenſe ſine dubio etiam intelligendum, quia caſus non facile eſt dabilis, ut propter ſolum debitum ex contractu Parentes *in carcere ſqualido, tenebroſo & corporis afflictivo* detineri jure poſſint, quod tamen ſupponit Stephani *l. cit.* cui interim in eo facile con-ſentimus, quod tunc quoque exheredatione locus ſit, ſi ipſe filius parentes in carcerem conjici curaverit.

§. XVIII.

Nova de jure civili exheredationis cauſa adeſt, *ſi delator contra parentes filius extiterit & per ſuam delationem gravia eo diſpendia fecerit ſuſtinere, Nov. 115. c. 3. §. 7.* Sed hæc iterum in Reformatione Nori-bergenſi non deprehenditur. Neque eſt, ut dicas, hanc cauſam ſub tertia, cujus in *§. X.* ſupra mention-nem injecimus, jam comprehendi, ibi: So die Kin-der ihre Eltern um peinliche Sachen beklagt hätten,

& delationem apud eos ſucceſſiſſe in locum accuſationis; Reſpondetur enim, ea, quæ jus Noricum de accuſatione liberis prohibita tradit, iisdem etiam verbis in *Nov. 115. cap. 3. §. 3.* contineri & nihilominus tamen hanc, de qua in præſenti agimus, cauſam eidem Novellæ inſertam fuiſſe, unde non poteſt non novum plane caſum & a priori diſtinctum denotare. Utut ergo concedamus delationem apud nos in locum veteris accuſationis ſucceſſiſſe, ipſa tamen accuſatio eique ſurrogata delatio, *quæ fit in criminalibus*, (de quo caſu ſermo eſt in Reformatione,) non poteſt ad delationem, (ſive calumniam, v. Gothofred. *ad citat. Nov. 115.*) *qua parentum bonis damnum infertur*, extendi. Priorem pro juſta exheredationis cauſa reputat jus Noribergenſe, non autem poſteriorem, at jus Romanum utriusque meminit.

§. XIX.

Sequitur jam *ſeptima* exheredationis cauſa, quæ in Reformatione ita exprimitur: So die Kinder ihre Eltern an Aufrichtung ihrer Teſtament und letzten Willen zu verhindern ſich unterſtanden hätten, derowegen mögen die Eltern, ſo ſie zu Aufrichtung ihrer Teſtament kommen, dieſelben Kinder enterben, quæ eundem in modum in *Nov. 115. c. 3. §. 9.* exhibetur. Tres autem caſus hic ſunt ſeparandi. Parentes a liberis teſtari prohibiti 1) *condiderunt poſtea nihilominus teſtamentum & filium prohibentem exheredarunt*, aut 2) *condiderunt quidem teſtamentum, ſed hujus injuriæ mentionem non injecerunt*, aut denique 3) *plane non ſunt teſtati*. *Primus* caſus in verbis modo adſcriptis deciditur. *Tertius* deciſionem ſuam ex

ex verbis mox ſequentibus ejusdem Reformationis accipit: Und wann die Eltern aus ſolcher der Kinder Verhinderung ohn Teſtament oder ohn letzten Willen abſterben, und ſolche Verhinderung erwieſen würde, ſo ſollen nichts minder dieſelben Kinder aller Erbſchaft entſetzet ſeyn, und derſelben Antheil, ſo ihnen erblich zugefallen ſeyn ſolt, den andern des abgeſtorben nechſten Erben folgen und werden, ubi iterum Jus Romanum conſpirat. Sed quid in *ſecundo* caſu? Puto, ſi pater teſtamentum condens injuriam a filio ſibi illatam diſſimulat, nullum eſt dubium, eam pro remiſſa haberi, & Patrem, ut neceſſario filium exheredem ſcribat, adſtringi non poſſe, argumento eorum, quæ de Patre furioſo (quem filius neglexerat) ad ſanam mentem revertente tradit *d. Nov. 115. cap. 3. ſ. 12.* ibi: *erit ei poteſtas, utrum velit.* Adde quod verſemur in juſtis exheredationum cauſis. Exheredatio vero facti eſt, & adeo contradictionem involveret, ſi diceremus, filium eſſe exheredatum ex juſta cauſa, qui plane non eſt exheredatus.

§. XX.

Octava cauſa perhibetur, ſo die Kinder ein leichtfertig, unehrlich Leben und Weſen führeten, als da ſie Frauen Wirth oder Wirthin, Nachrichter, Gauckler oder dergleichen würden, es wären dann die Eltern in gleichem leichtfertigen Leben und Weſen auch herkommen und geweſen. Ita habet editio Reformationis Noricæ, qua nos uſi ſumus, de A. M. D. LXIV. In veteri autem editione de A. M. D. XXII. *Tit. XV.* verba diverſiſſimo modo proferuntur. Zu dem achten, ſo der Sohn ein Katzenritter wäre oder des-

gleichen ſich unterſtanden hätte mit andern Thieren zu beiſſen und zu fechten, es wäre dann, daß der Vater auch dergleichen Sachen gepflegen hätte. Quid hic vox: Katzenritter, ſignificet, non adeo conſtat, interim tamen liquido apparet, verba veteris illius editionis ex amore erga jus Romanum ex *Nov. 115. cap. 3. §. 10.* deſcripta fuiſſe, ubi ita ſtatuitur: *Si præter voluntatem parentum inter arenarios, vel minos ſeſe filius ſociaverit, & in hac profeſſione permanſerit: niſi forſitan ejusdem profeſſionis etiam parentes fuerint,* at vero, cum ea diſpoſitio ad mores noſtros parum quadrare videretur, in recentiori editione hoc prudenter mutatum fuit.

§. XXI.

Hic igitur, ut eo melius & convenientia Juris Norici ac Romani & diſcrepantia horum jurium intelligatur, liceat paululum diſtinctius hanc cauſam conſiderare præſertim cum commentatores Juris communiter levi pede ſoleant tranſire cauſas exheredationum. Arenarii ſunt, qui in Arenam pugnandi cauſa deſcendunt ibique publice pugnant, Schard. *lex. hac voce,* ſcilicet vel cum beſtiis vel cum aliis hominibus. Lipſius *l. 1. de amphit. c. 3.* unde eorum duo genera conſtitui poſſunt, gladiatorum & beſtiariorum. Lipſ. *ibid. & lib. 2. Saturn. c. 3.* Schard. *d. l.* Coras. *Miſcell. IV. 24. 9.* Et fallunt adeo, qui arenarios ad ſolas pugnas cum beſtiis reſtringunt, idque ex Lipſii allegato loco probare intendunt, uti in multis etiam editionibus lexici Fabriani ita legitur. Faciebant autem id alii coacte, alii libere. Coacte ſervi vel captivi. Servi vel ad id venditi vel damnati.

Qui

Qui libere, vel pretio inducti, vel mala libidine pugnandi, etiam primæ nobilitatis viri quidam, deſperatione & bonis exuti, alii principibus gratificantes, etiam equites & Senatores, etiam, quod mireris, fœminæ. Lipſ. *d. l. 2. ſaturn. cap. 3. & 4.*

§. XXII.

De ſervis arenariis autem cum nobis non ſit ſermo, ſed de liberis hominibus, mirandum eſſet, qui hi eo dementiæ prolapſi fuerint, ut tam turpiter vitam ſuam periculo exponerent. Sed ad quid non impellit vel deſperatio vel ſtultum ſtudium placendi principibus? Ergo & horum arenariorum varia fortuna & favor pro guſtu Principum. Origo prima turpis hujus honoris a C. Cæſare videtur derivanda, *cujus munere in foro depugnavit Furius Leptinus ſtirpe prætoria & A. Calenus, ſenator quondam actorque cauſarum.* Sueton. *in Julio cap. 39.* Dio *lib. 43.* hoc amplius refert, permiſiſſe eum Equitibus Romanis, uti pugnarent. Eoque temeritas hæc invaſit, ut lege cavere Auguſtus debuerit, nec ſenatorem gladiatorem fieri, nec ſervum lictorem. Equitibus tamen id palam permiſit (Dio *lib. 56.*) donec & hoc Senatusconſulto vetaret. Sueton. *Aug. c. 44.* Adjuvavit Senatusconſultum vigilantia Tiberii, ne quid in fraudem ejus committeretur. Cum enim ex juventute utriusque ordinis (Senatorii nempe & Equeſtris) profligatiſſimus quisque, quominus in opera ſcenæ arenæque edenda SCto tenerentur, famoſi judicii notam ſponte ſubirent; eos omnes, ne quod refugium in tali fraude cuiquam eſſet, exilio affecit. Sueton. *in Tiberio c. 35.* Non eadem mens

fuit Principibus ſequentibus, qui ita ſolute permiſerunt pugnas ejusmodi, ut Caligula una commiſſione viginti ſex equites dederit, Nero, ſi locus Suetonii *in Nerone cap. 12.* non eſt corruptus, quadringentos Senatores, ſexcentosque equites Romanos exhibuerit. Adde Tacitum *lib. 15.* Adhuc ſub Severo Principe Senatus conſulto opus fuit, ut interdiceretur fœminis ne amplius ad gladium depugnarent. Lipſ. *d. l. c. 3. & 4.*

§. XXIII.

Tempore Ulpiani diſtinguebatur, an liber homo pretio locaſſet operam arenariam, an absque pretio pugnaſſet. Priori modo pugnare turpe habebatur. Qui poſteriore modo pugnarent, tantum abeſt, ut turpe haberetur, ut potius virtutis nomine veniret. Inde eſt, quod SCto ad poſtulandum pro aliis non admitterentur, qui operas ſuas locaſſent ad arenam, etſi non pugnaſſent, admitterentur contra qui pugnaſſent & non locaſſent, aut qui virtutis i. e. fortitudinis (quæ apud ſcriptores Claſſicos, ob hypotheſin gentilium de fortitudine bellica virtute primaria, virtutis nomine abſolute poſito plerumque venit) oſtendendæ cauſa pugnaſſent. *l. 1. §. 6. de poſtul.* Et habebantur ipſæ operæ arenariæ pro turpibus, quas promiſſas præſtare non liceret *l. 38. de oper. libert.* Ipſi vero arenario tanquam turpi perſonæ non credebatur absque tormentis. *l. 21. §. 2. ff. de teſt.*

§. XXIV.

An ergo & in materia exheredationis arenarius intelligendus ſolum, qui operas ſuas locabant, an

&

& qui absque mercede pugnabant cum beſtiis? ſane generaliter loquitur Juſtinianus nec diſtinguit, ut in capite de poſtulando. Imo pro generali hac explicatione videtur facere, quod Juſtinianus hic nihil novi diſpoſuerit, ſed confirmaverit ſaltem conſtitutionem Alexandri. Alexander autem *l. 11. C. de inofficioſo teſtamento*, dum ait, arenario non competere querelam inofficioſi, ſed tamen filium merito indignum ſucceſſione judicari a patre; in verbis initialibus arenarium ſic deſcripſerat, qui non damnatus, ſed ſua ſponte arenarius conſtitutus eſſet. Talis vero eſt & qui virtutis cauſa pugnat. Sed verius eſt, eundem hic intelligi, qui & in edicto de poſtulando. Nam abſolute poſita vox arenarii non actionem ſed ſtatum denotat. Ad ſtatum vero arenariorum die profeſſion davon machen, pertinebant ſolum illi, qui pro pecunia pugnabant.

§. XXV.

Quidſi igitur filius operas ſuas locaſſet, & non pugnaſſet? An & tum pater filium exheredare potuit? Videtur & hoc ita dicendum, *arg. d. l. 1. §. 6. de poſtul.* Nam & hic pro infami habetur ab Ulpiano. Sed conſtat Ulpianum captaſſe verba SCti. Et verior eſt ſententia Gaji *l. 3. de bis qui notant. infamia*, eos qui operas ſuas locaſſent, ut prodirent artis ludicræ cauſa, neque prodierint, non notari. Nec quadrat communis diſtinctio, qua antinomiam hanc conciliare laborant, inter arenarios & qui artem ludicram exercebant, inter amphitheatrum & ſcenam. Nam & pugna gladiatorum in theatro pertinet ad artes ludicras, quia per eam populo ludus fiebat: Et

ad

ad ſcenam pertinet etiam amphitheatrum *l. 2. ſ. ult. l. 4. ff. eod.* Quodſi & nos verba tenere volumus, exheredari poteſt arenarius. At qui locavit operas & non pugnavit, arenarius non eſt. Ergo poſterior ſententia verior, quia & verbis legum & menti convenit.

§. XXVI.

Quid vero, an arenarii adhuc fuerunt ſub Juſtiniano? Cum tamen Patres Eccleſiæ tam acriter contra eos docuerint. Fuerunt utique. Docet id titulus Codicis lib. XI. *de ſpectaculis & ſcenicis & Lenonibus.* Docent tituli in Codice Theodoſiano convenientes, *lib. 15. tit. 5. & 7.* etiam ſub florentiſſimo Eccleſiæ ſtatu, qui vocatur, ſcenas & ſpectacula duraſſe. Sed an recte, an pie? De eo non diſputamus. Neque enim jam diſputamus de legibus, ſed ex legibus. Aliud eſt officium Doctoris, aliud Regis. Multa Reges tolerare & permittere oportet, quæ a Doctoribus jure improbantur. Tolerabantur igitur & arenarii & mimi tempore Juſtiniani, ſed improbabantur & notabantur infamia. Ita reſpondebat officium regentium officio docentium. Incumbit his ut turpitudinem & damna moralia ex actibus turpibus oriunda doceant populum. Incumbit illis, ut homines turpes & infames non foveant, nec excitent, ſed ſupprimant. An tolerandi, an e republica ejiciendi ſint, an capite puniendi, hoc non ad Doctores pertinet, ſed tantum ad Magiſtratum, qui prudenter diſpiciet, quid hac parte ferat utilitas Reipublicæ, etſi Doctorum utique ſit, & Magiſtratum in talibus monere, ſed modeſte; ac Magiſtratuum etiam

etiam ſit, audire in talibus placide monita Doctorum modeſta, eaque ponderare, atque utrum pùblicæ rei commodum patiatur, ut ea deducantur in actum, probe perpendere.

§. XXVII.

Mimos quod concernit, ſi Lexicographos & ſcriptores antiquitatum Romanarum evolvas, deprehendes, mimorum vocem ambigue ſumi, modo ut ludos Comicos vel potius fabularum & Comœdiarum perſonas ſub ſe comprehendat, modo ut his contradiſtinguantur, & ſaltem geſticulatores & ſcurrilibus aliis jocis alios delectantes denotet. Quem ergo ex his duobus ſignificatum Juſtinianus in mente habuit? Mallem Juſtinianus diſtinctius mentem ſuam propoſuiſſet. Sunt enim rationes dubitandi in utramque partem. Mallem tamen dicere, eum & actores fabularum comprehendiſſe, argumento illo, quod in corpus Juris retulerit edictum Prætoris infamia notans non tantum eos, qui artis ludicræ ſed & qui pronunciandi cauſa in ſcenam prodierint. *l. 1. de his qui notantur infamia.*

§. XXVIII.

Uti vero arenarii ſaltem illi notabantur in hac exheredationis cauſa qui operas ſuas locarent, ita eadem eſſe debet ratio mimorum. Ut adeo actio Comœdiarum non ſimpliciter infamaret, ſed quæſtuaria ſaltem; adeoque nec omnis filius ob actiones Comœdiarum poſſet exhæredari, ſed qui quæſtus gratia in ſcenam prodiret. Facit huc perſpicue argumentum *d. l. 1. §. ult.* Ut ſic aberrent, qui ex ti-

tulo de his qui notantur infamia, aut ex cauſis exheredationum argumenta ducere volunt, quibus probent, Comœdias in genere eſſe res turpes; multo magis vero errant, ſi ſpectatoribus fabularum exinde turpitudinem monſtrare velint. Non enim turpe eſt homini ridere. At ridiculum ſe præbere id turbe eſt. Ridiculum vero ſe præbet non ſolum qui ſcurrilia agit, ſed & qui ſententias abſurdas docet aut actiones inſtituit cum ratione recta non convenientes, etiamſi fronte ſeveriſſima ea dicat vel gerat.

§. XXIX.

Satis de Juſtiniano. Redeamus ad Reformationem Noricam. Conſtat equidem Compilatores ejusdem ante oculos habuiſſe Juſtinianum, ejusque legem ad mores ſuos transferre voluiſſe, ſaltem quatenus id fieri poſſet, nam arenarii proprie dicti Romanorum apud nos non inveniuntur. Sed diverſimode hic egerunt. Compilator primæ editionis, cum forte illo tempore nondum in Germania nota eſſent artium ludicrarum, quæ absque præſenti periculo vitæ exercentur, exempla, nullæque Comœdiæ in uſu eſſent, nihil invenit, quod mimis Juſtiniani reſponderet. Hos ergo omittens quæſivit analogum ipſorum Arenariorum. Nam haud dubie quos ipſe memorat die Katzenritter und die ſich unterſtanden mit andern Thieren zu beiſſen, majorem affinitatem habent cum arenariis, quam cum mimis. Scilicet intellexit homines, qui cum felibus & canibus ac ſimilibus beſtiis & quidem ore pugnarent. Quod enim per Katzenritter intellexerit, die ſich mit den Katzen

tzen beiſſen oſtendunt verba: mit andern Thieren. Sed dubito, an vir optimus rem acu detigerit. Neque enim credo unquam, hominum genus tam ſtultum fuiſſe, ut ore cum beſtiis pugnaret, & ſi unus & alter maxime tam ſcurra fuerit, de eo tamen quod ſemel aut bis fit non fiunt leges. Neque antiqui per Katzenritter intellexerunt, qui mordent feles, quicquid etiam hac voce intellexerint. Res plana fiet, ſi evolvamus fontem, unde hauſerit hanc vocem compilator. Haud dubie vero hauſit ex Gloſſa ſpeculi Saxonici.

§. XXX.

Poſtquam enim dixerat Autor ſpeculi Saxonici Landrecht *Artic. 37. lib. 1.* Kämpffer und ihre Kinder, Spielleuth und alle die unehlich gebohren ſind ꝛc. die ſind alle rechtloß, addidit Gloſſator Latinus ad vocem Kämpffer: *intelliguntur illi, qui lucri faciendi ergo palæſtricam exercent, quos Germani* Katzenritter *Latini actores arenæ dicunt.* At qui palæſtricam exercent, non mordent feles nec ab iis mordentur. Adde Gloſſam Germanicam ad *art. 39.* Kämpffer ſeynd ſolche Leute die Gelds halber ſtreiten, dadurch ſie dann ſcheltbar und anrüchtig werden. Nam quia de jure Saxonico duella & pugnæ adhuc licitæ erant, etiam in judiciis, teſtantibus id infinitis articulis illius juris, ideo per vocabulum Kämpffer non intelliguntur, qui pugnant cum aliis, ſed in ſpecie qui pro pecunia pugnant. Appoſite Gloſſa German. *ad Weichbild. art. 35. n. 5.* Kämpffer die ſind rechtloß das iſt wahr, das ſind aber die Kämpffer, die vor die Leute kämpfen um

Geld, (quamvis forte hic Gloſſator non intellexerit palæſtricam exercentes, ſed perperam eos, qui pecunia accepta duella ineunt pro aliis: Hodie Renomiſten,) die aber kämpfen für ihre ſelbſt Ehre, ſolcher Kampff mag wohl geſein mit Recht.

§. XXXI.

Sed quænam eſt ratio cur, qui, palæſtricam exercent ad delectandos homines pro pecunia dicti fuere Katzenritter? Dicam quid ſentiam in re obſcuriſſima. Notum eſt, quod ab Henrico Aucupe inſtituta fuerint exercitia militaria pugnandi in equitatu, & inde ordinata eſſe torneamenta. Succeſſu temporis ad militiam admiſſi etiam homines civici ordinis, ſed in peditatu, ipſi quoque talia exercitia militaria vel quaſi, pedeſtria tamen, inſtituerunt & ſpectacula publica, ſed ob deficientiam opum pro pecunia a ſpectatoribus ipſis data. Nobiles, ſeu Equites & Ritter, qui videbant, hæc in æmulationem ſui ordinis fieri conniventibus Imperatoribus, ex odio & contemtu tales pugiles apellarunt Katzenritter, ob ſimilitudinem, quam ipſorum pugna ſæpius habebat cum pugna quam gerere ſolent feles cum canibus. Adde, quod nobilium inſignia (ſaltem antiquitus) non deſumta ſint a beſtiis manſuetis ſed feris. Unde & ex hac cauſa denominarunt civicos homines a beſtia pugnatrice quidem, ſed manſueta. Ita & hodie milites civici a multis contemtim appellantur zahme Soldaten.

§. XXXII.

Sed quid jam fiet de pugilibus hodiernis, denen Feder-

Federfechtern und Marxbrüdern? Sane illi nec infames ſunt, nec pater talem filium exheredare poterit. Sed admittuntur non ſolum ad opificia, verum etiam opifices tanquam privilegium & ornamentum æſtimant, quod tales ſcholas inſtituere & publice habere poſſint. Mallem hic diligentiores fuiſſe Scriptores Germanos, in oſtendenda origine & progreſſu harum duarum ſocietatum. Nunc præter pauciſſima, quæ in nova editione Theſauri Beſoldiani voce Fechter, fere ex ſolo Limneo ibi citato excerpta ſunt, nihil ea de re invenire potui. Sed hæc ſitim non extinguunt, ſed augent. Dicam igitur & hic conjecturas. Initio cum cives plebeji inciperent & ipſi æmulari nobiles, atque palæſtricam exercere, a nobilibus æmulis non ſolum contemtim ſed & pro infamibus h. e. non capacibus juris communis cum nobilibus, Rechtloß, habiti ſunt: Donec pedetentim pecunia & aliis officiis ab Imperatoribus acquirerent famam. Ita Friderici III. privilegium datum denen Marxbrüdern refert Limnæus. Cum itaque Compilator antiquæ reformationis ſentiret, ſub voce der Katzenritter non amplius comprehendi poſſe eos, qui palæſtricam pro pecunia exercent, quia privilegium Friderici III. illo tempore jam obtinuerant, forte hæc cauſa fuit, ut ſignificationem iſtius vocis alium in ſenſum, etſi infeliciter, torqueret. Unde melius fecerunt Compilatores reformationis novioris, ut eam diſpoſitionem plane mutarent & illos Katzenritter omitterent. Accedit, quod illa ars Palæſtrica maxime in uſu eſſet apud Noribergenſes. Ita enim illu-

ſtris Polyhiſtor Wagenſeilius *in erudito opere de Noribergenſi civitate lib. 1. c. 22. p. 161. Gladiatorii quoque ludi vehementer incolas delectant, atque etſi eorum uſum ob incommoda, quæ inde proveniebant varia, ante hos aliquot annos tollere neceſſe fuit, tamen vix quisquam reperitur e vulgo, & adeo ne puer quidem, qui non alterutri factioni laniſtarum, quarum una a S. Marco, altera a Penna cognomen habet* der Marxbrüder und Federfechter *ſaltem animo & voto jungatur. Inſtituuntur interim crebro inter ædes privatas decertationes. Hodie etiam in ædibus publicis.*

§. XXXIII.

Cum igitur compilatores reformationis illius poſterioris ſentirent, non inveniri in Germania arenariorum illorum Romanorum analogum, operam dederunt, ut aliæ perſonæ turpitudine laborantes ex hypotheſi Germanorum, iis ſubſtituerentur. Quod mimos attinet, erant quidem tempore editæ poſterioris hujus reformationis Comœdiæ jam in uſu apud Germanos. Nam Philippus Melanchthon easdem in ſcholas Germaniæ introduxerat. *Vid. Arnold.* Ketzer-Hiſtorie *lib. 16. c. 10. §. 9.* Sed harum actores non poterant inter infames referri, non tam, quod pro pretio non luderent; (nam & Comœdiæ ſcholaſticæ aliquando pecuniam exigunt a ſpectatoribus, quamvis rarius id fiat,) quam quod parum aptum viſum fuerit, infamia notare velle inſtitutum a præceptore totius Germaniæ, quique magnam operam contulerat ad ipſos Libros Symbolicos, ſtabilitum. Adde, quod Albericus Gentilis peculiari in tractatu rationi-

bus

bus evidentiſſimis oſtenderit nec actores nec ſpectatores fabularum, abſtrahendo ab abuſu, notandos eſſe infamia.

§. XXXIV.

Comicos hodiernos quod attinet, qui poſtea ex Gallia & Anglia in Germaniam quoque ſe diffuderunt, etſi variæ ſint querelæ, rationi haudquaquam deſtitutæ, de horum abuſibus, & apertum ſit, eos lucri cauſa in ſcenam prodire, id tamen certum eſt, eos moribus noſtris non tantum pro infamibus non haberi, ſed etiam a principibus Germaniæ variis privilegiis & functionibus aulicis, vel ſaltem eorum titulis ornari, v. g. Fürſtlicher Cammerdiener, Hof-Commödianten, ꝛc. Et relatum fuit a Dn. Præſide, ſtudioſum quendam Theologiæ ante triginta annos per ſatis diuturnum tempus actoris partes apud ejusmodi Comicos egiſſe, & tamen poſtea nullam litem ipſi eſſe motam, cum ab illis rediens cathedram ſacram ſibi aperiri poſtularet, imo non diu poſt in ordinem Miniſtrorum Eccleſiæ fuiſſe receptum. Ut adeo certum ſit, Parentes Germanos, filium ob eam cauſam, quod ſe Comicis actoribus junxerit, exheredare non poſſe.

§. XXXV.

Igitur ſubſtituerunt emendatores Reformationis alias perſonas, Frauen Wirth und Wirthin, Nachrichter, Gauckler und dergleichen. Lenones & Lenas partim quod hodie in Rebuspublicis Proteſtantium nulla tolerentur lupanaria, partim quod forte deprehenderint, in rubrica tituli Codicis *de Spectaculis, Scenicis,*

nicis, & Lenonibus lenones jungi arenariis & mimis. Nec eſt, quod dicas, fruſtra inter cauſas exheredationis referri tales ſtatus qui plane non tolerantur in Republica, cum caſus non ſit dabilis. Etenim cum iis in locis ubi religio Pontificia dominatur, lupanaria tolerentur, facile contingere poteſt, ut filius ibidem leno fiat, & ſic anſam patri juſtam det, excludendi eum a legitima.

§. XXXVI.

Carnifices apud alios populos non ubique infamia laborarunt, in tantum, ut plures ex Dn. Theologis noſtræ Eccleſiæ defenderint, non recte a Germanis Carnifices ad claſſem infamium pertinere. Vide Autores ad hanc quæſtionem citatos in Theſauro Practico Beſoldiano & apud Zeilerum *centur. 4. Epiſt. 65. fol. 417.* Interim nullum eſt dubium, quin hi apud Germanos jam a pluribus ſeculis pro infamibus habeantur, nec eorum liberi in opificia recipiantur. Rationes hic ex Antiquitate conquirere non vacat, rationes communes v. g. quod ad hoc officium adhibiti fuerint homines morum infamium, afferre non lubet. Dependet res ab arbitrio cujuslibet Populi, quem ſtatum in civitate fama donare, quem infamia velit. Diſſentientium argumenta una diſtinctione inter infamiam internam, moralem, ſpiritualem, Theologicam, & externam, temporalem, politicam, Juridicam, ſubmoveri poſſunt. Danda ſunt Theologica Theologis, ſed & iterum danda ſunt politica politicis. Non alienus eſt a ſcopo locus elegans Ciceronis, *pro Rabirio. Moreretur prius acerbiſſima*

biſſima morte millies Gracchus, quam in ejus concione carnifex conſiſteret, quem non modo foro, ſed etiam cœlo hoc ac ſpiritu Cenſoriæ leges atque urbis domicilio carere voluerunt. Igitur extra portum Carnificum domus ad ſolennem ſuppliciis locum. Imo & Coriarii ac Veſpillones urbe ſubmoti a pari cauſa. Morticina enim tractant. *Conf. Lipſ. ad II. Ann. Tacit. f. m. 41.*

§. XXXVII.

Funambulos quod attinet, illi jam ex juris Romani Principiis ad mimos h. e. eos, qui artes ludicras exercent pertinent. Notum illud Terentii *in prologo primo Hecyræ:*

Ita populus ſtudio ſtupidus in funambulo
Animam occuparat.

Eorum vero operationes, hodiernorum funambulorum actionibus parum abſimiles fuiſſe, docet imago apud Hieron. Mercurialem *de arte Gymnaſtica lib. 3. cap. 5. p. m. 199.* ex ſculptis gemmis veterum deſumta. Reſpexit etiam haud dubie compilator Reformationis poſterioris ad communem expoſitionem juris Saxonici. In loco enim ſuperius adducto non ſolum pro infamibus habentur die Kämpfer, ſed & die Spielleute. Communiter vero interpretes die Spielleute explicant per Gauckler. Ita repertorium in jus Saxonicum quod reperitur poſt Weichbild ſub voce Spielleute. Spielleut oder Gauckler, und die um Geld für ander Leut kämpfen ſind alle Ehren- und Rechtloß. Item: Spielleut und Gauckler ſind nicht Leut wie andre Menſchen, denn ſie nur ein Schein der Menſchen haben ꝛc. Quamvis hanc expoſitionem pro contorta habeam. Nam etiam in vulgus notum

eſt, quod Spielleute ex genio linguæ germanicæ denotent eos, qui Muſica abutuntur ad excitandam libidinem & crapulam hominum, die zum Eſſen und Trincken, auch Tantzen, aufſpielen. Unde nec hodienum muſici ſalariis publicis in urbibus ad feſtivitates publicas deſtinati volunt audire Spielleute, ſed Stadtpfeiffer, Kunſtgeiger, & reliquos tanquam intuitu ipſorum infames contemtim appellant Bierfiedler, ꝛc. non quod moraliter magna ſit differentia inter Bierfiedler & Weinfiedler, ſed quod ipſorum ſtatio habeatur pro honoratiore, quia ſimul ad cultum publicum ſunt deſtinati; reliquorum vero conditio multum adhuc ex vilitate antiqua retinuerit. Sed autor tamen repertorii, cum deprehenderet, ſuo tempore iſtos Muſicos vulgares admitti ad opificia, ſubſtituit eorum loco funambulos, reſpiciens magis ad Gloſſam & verſionem latinam juris Saxonici quam ad textum ipſum, uti ſtatim videbimus.

§. XXXVIII.

Ex dictis vero facile judicari poteſt, quid in reformatione hic intelligatur per additionem und dergleichen. Quodſi enim evolvamus dictum juris Saxonici textum, deprehenditur, quod interpres Latinus reddiderit vocem Spielleute per *hiſtriones* & *joculatores*. Gloſſator vero Latinus *ad text. German. lit. d.* ita hanc vocem expoſuit: *id eſt, exercentes artem ludicram, ſi ſint majores 25. annis per l. penult. C. ex quib. cauſ. infam. irrog.* Itaque funambulis ſimiles ſunt die Taſchenſpieler, Pickelheringe, (ſcilicet extra comœdias,) carnificibus lictores die Häſcher, caſtratores ſuarii Schweinſchneider, Schinder, Unflats-

Räu-

Räumer, lenonibus die Kupler und Kuplerinnen in locis ubi nulla lupaniaria publica tolerantur.

§. XXXIX.

Recipiunt vero hactenus dicta duplicem limitationem, primo, ut ex ſupra notatis huc repetatur illos demum liberos exheredationi eſſe obnoxios, non qui agunt talia, ſed qui talia profitentur, qui lucri cauſa agunt, qui agunt ut viliſſimæ etiam plebi riſum moveant. Neque adeo pater filium exheredare poterit, qui curioſitatis gratia aut ſanitatis motus funambulares didicerit, quique in arte peræ luſoriæ der Taſchenſpieler-Kunſt ſe exercuerit, vel propriæ delectationis cauſa, vel etiam delectandi amicos, qui canum aut hominum cadavera dilaceret, ſtudio artis medicæ aut phyſicæ impulſus &c.

§. XL.

Secundo, quoad uſum practicum ejusmodi conſtitutionum & legum antiquarum videndum eſt magis ad rationem, quam ad perſonas verbis expreſſas. Ratio exheredationis eſt ignominia, qua filius eligendo ejusmodi turpe vitæ genus patrem affecit. At uti ſupra quoad mores Romanos audivimus, iſta vitæ genera non ſemper pro turpibus haberi; ſed arenarios ſæpe fuiſſe amatos a principibus, lictores Romanos diverſos fuiſſe a lictoribus noſtris, quia Auguſtus conſtituit, ne ſervus lictor fieret; apud alios populos carnifices non fuiſſe infames: ita & mores hac parte in eadem Republica ſæpe ſecundum temporis diverſitatem variant, atque hac in parte magis ad mores quam ad leges reſpiciendum. Sic olim non ſolum opilionum ſed & balneatorum & bar-

bitonſorum liberi habebantur pro infamibus. Poſtquam receſſus imperii omnes hos voluit eſſe æqualiter integræ famæ, mores hominum non tam vim legis publicæ, quam ſingularitatem propriarum inclinationum ſunt ſecuti. Ita inter opifices hodie non tolerantur ſaltem ſed eminent, & ad claſſem opificum amplius referri nolunt, barbitonſores, injuriam ſibi fieri putantes ſi appellentur Magiſtri, quia Principes audiunt, nicht Meiſter, ſondern Printzen: Balneatores, quorum tamen operationes valde parum differunt ab operationibus barbitonſorum, non tanti æſtimantur, ſed recipiuntur tamen absque difficultate in opificia. Sed opiliones nondum extinguere potuerunt antiquum vilipendum; & opifices vix & fere nonniſi coacti a Magiſtratu ipſorum liberos in opificia recipiunt. Ita credo olim apud Germanos revera infames fuiſſe die Spielleute und Bierfiedler tempore ſcilicet confecti ſpeculi Saxonici. At tempore gloſſatoris & Autoris repertorii ceſſabat hæc opinio adverſa hominum de ipſis, & opifices non amplius arcebant eorum liberos ab opificiis. Igitur non tam videntur explicaſſe vocem Spielleute per additionem der Gaucklet, quam potius hos in eorum locum pro ratione morum præſentium ſubſtituiſſe. Ita pari ratione caſtratores ſuum non ubique nec ſemper pro infamibus habentur. Idem dicendum von denen Pickelheringen ꝛc.

§. XLI.

Pergo jam ad *Nonam* cauſam exheredationis. Utile tamen erit ante omnia variationem utriusque reformationis apponere, quia inſervit ad explicationem meliorem: Verba

Verba reformat. prioris.

So die Töchter ſich nicht wolten beſtatten laſſen zu der Ehe, ſo der Vater ſie nach ſeinem Vermögen vor und ehe dann ſie 22. Jahr alt worden wären, hätte beſtatten wollen, ſondern darüber ein unkeuſch Leben und Weſen auserwehlet hat. Und ſo aber der Vater an ſolch ihrer Beſtattung ſäumig wäre, und ſie in ehgeſtimmter Zeit und Meynung nicht verheyrather hätte, ſo ſolte ſie darum nicht enterbet ſeyn.

Verba reform. poſterioris.

So eine Tochter oder Enigklin über daß die Eltern nach ihren Vermögen ſie mit ehrlichen Heyrathen verſehen wollen, denſelben nicht gefolgt und ſich in ein unzüchtig ſündlich Leben gegeben hätte. Und obgleich die Eltern ihnen vor und ehe ſie 22. Jahr alt worden zu Verheyrathung nicht geholfen hätten, ſoll dannoch ſolchs die Kinder oder Enigklin nicht entheben, noch entſchuldigen, dieweil ihnen in dieſen Fall ſich ſelbſt ehrlich zu verheyrathen, vermög anderer Geſetz zugelaſſen iſt.

Ut plenius appareat convenientia cum jure Romano, addamus textum *Novellæ 115. c. 3. Si alicui ex prædictis parentibus volenti ſuæ filiæ vel nepti maritum dare, & dotem ſecundum vires ſubſtantiæ ſuæ pro ea præſtare, illa non conſenſerit, ſed luxurioſam degere vitam elegerit. Si vero usque ad viginti quinque annorum ætatem pervenerit filia & parentes diſtulerint eam marito copulare, & forſitan ex hoc contigerit, in ſuum corpus eam peccare, aut ſine conſenſu parentum marito ſe, libero tamen, conjungere; hoc ad ingratitudinem filiæ nolumus imputari, quia non ſua culpa ſed*

parentum id commisisse cognoscitur. Patet textum Reformationis prioris pene de verbo ad verbum transtulisse textum juris Romani, nisi quod loco anni 25. mentionem faciat anni 22. & omittat in limitatione mentionem casus, si filia adulta citra consensum patris nuptias ineat.

§. XLII.

Rationem cur utrumque factum, suppeditabit *art. 9. lib. 28.* Die Kinder, die noch in Gewalt und Fürsehung ihrer Eltern stehen, sollen sich ohn oder wieder derselben ihrer Eltern Willen nicht verheyrathen, nemlich, der Sohn seines Alters unter fünf und zwanzig, und die Tochter unter zwey und zwanzig Jahren, und so sie das überführen, seyn die Eltern in ihrem Leben ihnen einig Heyrath-Gut, Ausfertigung, oder Wiederlegung zu geben, noch in ihrem letzten Willen, ein mehrers dann die Legitima zu verschaffen, nicht schuldig. So aber die Eltern ohn Geschäft mit Tod abgiengen, oder denselben ungehorsamen Kindern, in ihren letzten Willen nichts benommen, so sollen sie zu väterlicher und mütterlicher Erbschaft, gleich den andern Kindern zugelassen werden, und was ein jedes empfangen hat, einwerfen, und mittheilen. So aber die Eltern den Kindern, in Zeit obgemeldtes ihres Alters, zu ehrlichen Heyrathen nicht helfen oder rathen, und die Kinder sich darnach selbsten zu ehrlichen Personen verheyrathen würden, sollen die Eltern ihnen gebührliche Ehesteuer, nach Gelegenheit ihres Vermögens zu geben schuldig seyn. Cum itaque in hoc articulo satis perspicue ordinatum fuerit, quod filius & filia invitis parentibus nuptias celebrare possint, si annum

annum vigeſimum quintum vel vigeſimum ſecundum attigerint, non fuit opus ejus rei iterum meminiſſe in capite de exheredatione liberorum.

§. XLIII.

Nec ſine juſta ratione factum fuit, quod intuitu filiæ annum vigeſimum ſecundum loco termini poſuerint, poſt quem ea nuptias contrahere poſſit invitis parentibus, cum Jus Romanum eam licentiam demum indulſerit poſt annum vigeſimum quintum. Scilicet Leges Romanæ haud dubie anni vigeſimi quinti mentionem fecerunt, quod hic annus finiat majorennitatem & in maſculis & in fœminis. Contra Reformatio Norica juſtius penſitavit, quod a majorennitate ad nuptias non liceat firmiter argumentari. Majorennitas quippe fundatur in perfectione judicii, & cavet, ne minorennes damnum patiantur in adminiſtratione rerum ſuarum. Etſi itaque fœminæ citius perfectionem judicii acquirere ſoleant, quam mares, quoniam tamen privilegia minorennitatis multum favoris continent, æquius fuit viſum, æquare hac in parte fœminas maribus, ut æqualibus juribus utantur. At nuptiarum alia ratio eſt. Hic enim magis ad habilitatem corporis & uſtiones concomitantes reſpiciendum. Melius eſt nubere, quam uri. Cum igitur eo reſpectu etiam jus Romanum citius filiabus poteſtatem dederit conſentientibus parentibus nubendi, anno videlicet 12. quam maſculis uxores ducendi, ut qui anno demum 14. puberes fieri ſolent, æquius etiam eſſe putavit reformatio Norica, ſi citius detur filiabus poteſtas nubendi invitis parentibus, quam filiis ineundi nuptias. Ergo in fi-

liis

liis reliquerunt determinationem annorum viginti quinque, at in filiabus eam poteſtatem determinarunt anno vigeſimo ſecundo.

§. XLIV.

Id tamen memorabile eſt, quod reformatio poſterior, etſi illum terminum anni 22. in filiabus retinuerit, correxit tamen limitationem, quæ in prima reformatione cauſæ nonæ exheredandi liberos addita fuit, & ita ſimul receſſerit ab ipſa Juris Romani diſpoſitione, quam ſecuta erat Reformatio prior. Scilicet cum & jus Romanum & reformatio prior ordinaverint, ut pater filiam non poſſit exheredare, quæ poſt annum 25. vel 22. in corpus ſuum peccaverit & vitam luxurioſam elegerit, reformatio poſterior etiam hac parte voluit integram eſſe parentibus poteſtatem exheredandi. Sed & hic tamen ratio diverſitatis in promtu eſt.

§. XLV.

Recte receſſit hoc in caſu reformatio poſterior a priore. Oblita enim erat prior reformatio, quod filiabus poteſtatem jam dediſſet plenam nubendi poſt vigeſimum ſecundum annum. Eadem enim in hoc caſu eſt diſpoſitio *tit. 12. art. 2.* in prima reformatione quoad ſenſum cum *art. 9. tit. 29.* deſcripto *§. 42.* etſi verba ibi ſint paululum obſcuriora & confuſius propoſita. Itaque iniquum erat filias excuſare velle, quæ poſt annum 22. elegerint vitam libidinoſam præ vita honeſta. Et hanc rationem mutationis diſerte addit reformatio poſterior in verbis finalibus ſupra §. 41. deſcriptis. Dieweil ihnen in dieſen Fall ſich ſelbſt ehrlich zu verheyrathen vermög andrer Geſetze zugelaſſen

laſſen iſt. Nempe per alias leges haud dubie hic indigitatur diſpoſitio *d. art. 9. tit. 29.*

§. LXVI.

Sed quomodo conciliabimus jam reformationem poſteriorem cum Jure Romano, cum & hoc in verbis ſupra *§. 41.* prolatis *(aut ſine conſenſu parentum marito ſe, libero tamen conjungere)* filiabus etiam poteſtatem nubendi dederit invitis parentibus, & tamen hoc non obſtante filiam, quæ maluerit eligere vitam luxurioſam ab exheredatione parentum liberaverit? Quin imo idem Jus Romanum non ſic intelligendum eſt, quaſi quidem reliquerit filiæ poteſtatem legitimas nuptias contrahendi, ſed non ſimul oneraverit patrem, ut dotaret filiam, aut coegerit, ut in nuptias filiæ conſentiret, (quo pacto differentia aliqua foret inter Jus Romanum & Reformationem Noricam.) Contrariam enim docet textus notabilis *l. 19. de R. N. Qui liberos, quos habent in poteſtate, injuria prohibuerint ducere uxores, vel nubere, vel qui dotem dare non volunt, ex conſtitutione Divorum Severi & Antonini per proconſules præſidesque provinciarum coguntur in matrimonium collocare & dotare. Prohibere autem videtur, & qui conditionem non quærit.* Sed non difficilis ad hanc objectionem eſt reſponſio. Turpe erat apud Romanos i. e. infame & indecorum meretricem eſſe, non erat crimen, meretriciam artem exercere, nam tolerabantur lupanaria, neque puniebatur ſcortatio. Igitur jus Romanum compenſavit factum indecorum cum facto indecoro. Pater non quæſiverat nuptias filiæ, fecerat indecenter, & contra officium paternum: Filia cum poſt

annum 25. poterat patrem adigere ad juſtas nuptias, indecore elegerat vitam meretriciam. Pater exheredabat filiam. Noluerunt leges voluntati Patris aſſiſtere, quia filiam notare non poterat, ſine allegatione tacita propriæ turpitudinis. Nec adeo inconvenienter ſtatui ſuorum temporum diſpoſuerunt compilatores Reformationis prioris, quia anno 1522. Noriberga nondum profitebatur religionem Evangelicam. Ergo tum erat ratio parum diſſimilis a jure Romano, quia apud Pontificios tolerantur lupanaria. Sed apud Evangelicos ſcortari ad crimina pertinet, quæ pœna notantur, præprimis in fœminis. Non itaque amplius juſta erat compenſatio inter factum indecorum patris, & crimen filiæ, neque tam reſpiciendum erat ad patris favorem, quam ad odium filiæ, in cujus adeo pœnam voluit Reformatio Norica poſterior, ut exheredatio locum haberet.

§. XLVII.

Quid igitur annon pater poterit ſtupratam exheredare? an neceſſe eſt ut id tum demum fiat, ſi meretriciam artem exerceat filia exheredanda? Ita puto, ſive jus Romanum reſpicias, ſive Reformationem Noricam. Jus Romanum quod attinet, etſi Juſtinianus diſerte non mentionem faciat vitæ meretriciæ, interpretes tamen omnes phraſin: *luxurioſam degere vitam* de vita meretricia exponunt. Neque abſunt alii modi loquendi in legibus. Ita *l. 19. C. de inoff. teſtam. vivere turpiter & cum flagitioſa fœditate* dicitur. Stuprata autem dicitur virgo vel vidua *honeſte vivens §. 4. Inſt. de publ. Jud.* etiamſi bis vel ter ſtuprata ſit. Idem ſentio de phraſi ſequente in Novella, quam Juſtinia-

ſtinianus in limitatione adhibet, *in corpus ſuum peccare.* Cum enim omnis exceptio debeat eſſe de caſu regulæ, etiam hac phraſi nil aliud intelligi poteſt, quam vulgo quæſtum corpore facere. Unde ſpongiam meretur ſequens annotatio Gothofredi ad illam phraſin. *In corpus peccare hic aliud eſſe puto, quam meretricio more vivere. Eo igitur adducor, ut credam, filiam majorem 25. annis patre ceſſante ei conditionem quærere, non ob id exheredari poſſe, quod in corpus ſuum peccaverit, forte ſemel aut aliquoties, clam tamen. Aliud vero fore, ſi palam turpiter vivit & flagitioſe.* Debuiſſet erroris convincere, quod filia etiam minor 25. annis non poſſit exheredari ſi ſemel vel aliquoties ſtuprata ſit, quia ſtuprum non eſt inter cauſas exheredationis. §. XLVIII.

Quod vero attinet Reformationem Noricam, cum in utraque mens compilatorum fuerit transferre diſpoſitionem juris Romani in forum Noribergenſem, eadem etiam expoſitio articulis Reformationis applicari debet, quæ eruitur ex textu juris Romani, niſi ubi reformatio expreſſe a Jure Romano receſſit, quod hic non factum. Nec obſtat, quod tamen hodie & ſtupratæ apud nos pro infamibus habeantur, & puniantur, ſaltem pœnitentia Eccleſiaſtica, adeoque videatur eadem ſubeſſe ratio. Sufficit enim quod nulla pœna civili notentur. Jam vero verſamur in materia juris civilis, non juris Eccleſiaſtici. Et adeo etiam diſtinctio inter infamiam civilem & Eccleſiaſticam litem tollet. Non enim confundendum eſt forum internum ſeu Eccleſiaſticum, cum externo ſeu Civili, ad quod pertinet doctrina de teſtamentis.

§. XLIX.

Sequitur cauſa *decima* & ultima: So die Kinder ihren Eltern, die mit Kranckheit oder Schwachheit des Leibes oder mit Gebrechligkeit der Vernunft beladen, oder ſonſt an täglicher ihrer Leibes-Nahrung Mangel hätten, kein Handreichung thun, noch zu derſelben Unterhaltung nothdürftige Artzung oder andere Pflegniß mit Artzney und dergleichen nach ihren Vermögen mittheilen wolten, und deſſen durch die Freund oder andere erſucht worden wären, dadurch andere Freunde oder fremde mitleidlich bewegt, ſolche verlaſſene Eltern in ihr Pflegniß zunehmen, und mit Fürſtreckung des Ihren zuverſehen, in denſelben Fällen ſollen die ungetreuen Kinder enterbt ſeyn, und die Güter ſo die Eltern auf ihr Abſterben hinter ihnen verlieſſen, denjenigen, ſo ihnen ſolche Handreichung gethan, folgen und werden. Concordat fere *Nov. 115. c. 3. v. 12.* niſi quod patris *furioſi* ſaltem mentionem injiciat, non autem *infirmi, morbo decumbentis, & egeſtate laborantis*, qui tamen cum furioſo in Reformatione noſtra conjungitur. Uti vero Reformatio Norica in additamento illo haud dubie reſpexit ad caſum, ſi parentes illi ad meliorem fortunam pervenerint, ita Jus Romanum additamentum illud omiſit, quia caſus rarius obveniebant. Ceterum verba: ſollen die ungetreuen Kinder enterbt ſeyn, exheredationem ipſo jure fieri indicant, non ſolum eo caſu, ſi parentes in furore & corporis infirmitate deceſſerint & nullum teſtamentum fecerint, ſed quamvis etiam parentes ante furorem illum vel infirmitatem ſupervenientem liberos hosce heredes ſuos ſcripſiſſent, quod itidem in *d. Nov.* eodem modo

modo exprimitur. Dico ſi *ante furorem vel infirmitatem* teſtamentum condidiſſent; quodſi enim ceſſante furore vel infirmitate parentes liberos ingratos nihilominus heredes inſtituant, injuriam remiſiſſe cenſentur. Idem eſt, etſi poſt furorem nullum teſtamentum fecerint. Sufficit enim quod non aliis hereditatem ſuam poſtea reliquerint, tum enim tacite injuriam liberis remiſiſſe putandi ſunt. *Vid. d. Nov. v. 12. ibi: erit ei poteſtas, utrum velit &c.*

§. L.

Quæ nunc porro *in Nov. 115.* tanquam nova exheredationis cauſa adducitur, ſcilicet *ſi unum de parentibus in captivitate detineri contigerit, & ejus liberi ſive omnes ſive unus non feſtinaverint eum redimere, &c.* ea in Reformatione Norica non deprehenditur. Si ad conjecturas recurrendum, hæc inter Jus Romanum & Noribergenſe ratio differentiæ probabilis adduci poſſet, quod ſcilicet Jus Romanum neglectum in redemtione parentum ex captivitate propterea inter cauſas ingratitudinis maximas retulerit, quoniam captivitas eo jure ſervitutem involvebat, etiam jure Novellarum adhuc, *v. Nov. 22. cap. 7.* Hodie autem, cum D. D. ſibi aliisque perſuaſerint, captivos libertatem ſuam ut ante illæſam retinere, eos quoque reſpectu ad nos & quoad effectus juris, qui a Turcis capiuntur, v. Illuſtr. Dn. Stryk. *de Cautel. teſtament. cap. 3. v. 45.* hinc quoque pro tanta ingratitudine non accipitur, ſi liberi parentes ſuos in captivitate conſtitutos negligant.

§. LI.

Imperator Juſtinianus ultimo etiam loco hanc cauſam exheredationis refert in *Nov. 115. c. 3. v. 14. Si*

quis de parentibus orthodoxus constitutus senserit suum filium, vel liberos non esse catholicæ fidei, nec in sacrosancta ecclesica communicare, in qua omnes beatissimi Patriarchæ una conspiratione & concordia fidem rectissimam prædicant, & sanctas quatuor Synodos, Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam & Chalcedonensem amplecti seu recitare noscantur: licentiam habent pro hac maxime causa ingratos eos & exheredes in suo scribere testamento. Ad eundem modum in editione Reformationis Noricæ d. A. M. D. XXII. undecima causa (præter decem hactenus enumeratas) ita exprimitur *Tit. 15. Leg. 2. in fin.* Zu dem Eilften, so der Vater ein Christ ist und die Kinder Ketzer seyn, at vero in editione recentiore de A. M. D. LXI. P. III. *Tit. 19.* ea verba plane sunt omissa, & sic numerus causarum exheredationis eo ipso est minutus.

§. LII.

B. Dn. Wurffbein *in tractatu supra citato lib. 1. membr. 2. sect. 1. th. 24.* ita de causa hujus omissionis disserit. *Quod forte,* inquit, *ideo factum, quia nondum constat quis sit verus hæreticus. Et quamvis nullum dubium sit de illis hæreticis, quorum in Nov. 115. c. 3. v. 14. & l. 5. C. de hæret. mentio fit, quin non tantum exheredari possint, sed & ipso jure ab intestato succedere nequeant, d. l. 5. & d. Nov. 115. cap. 3. v. 14. Quia tamen ante Constitutionem de Pace Religiosa inter Pontificios & Evangelicos multa dubitatio exorta est, quinam ex his hæretici sint vocandi, ideo etiam illa causa omissa est. Rem tamen istam Ferdinandus I. Rex Rom. cum statibus Imperii jussu Caroli V. Rom. Imp. decidere nolens A. 1555. Augustæ Vindelicorum certam interea Constitutio-*

tutionem ſanxit, inſimulque litis iſtius pendentiam induxit, ut tam diu Pontificia illa Catholico Romana & Catholico Apoſtolica Auguſtanæ Confeſſionis ſimul in Imperio Romano Germanico tolerentur, donec illa ipſa de Religione controverſia, amicabiliter pacis ſtudio & Chriſtianæ veritati & charitati convenienter transactum eſſet, cujus ſuſpenſionis intuitu nec pater Pontificiæ Religionis poteſt filium reformatæ Religionis eo nomine tanquam hæreticum exheredare: nec vice verſa pater Auguſtanæ Confeſſionis filium ſuum religionem deſerentem & Pontificiam amplectentem, per ea quæ habet Henr. Andr. Cranius in Diſſert. Jurid. Polit. de Pac. Religioſ. P. 2. probl. 9. p. 264. ſeqq.

§. LIII.

Putat igitur Vir Doctiſſimus, ideo omiſſam eſſe hanc cauſam in reformatione, quod eo tempore non conſtiterit, quis ſit hæreticus, ſed demum poſtea per pacificationem Religioſam id fuerit definitum. Sed non ſenſit, quod Reformatio nova & recentior anno 1654. publicata, compilata fuerit poſt pacificationem religioſam. Non attendit, quod Reformatio prior ante pacificationem religioſam edita cauſam illam exheredationis poſuerit, cum ſecundum rationem datam omnia potius debuiſſent inverti, & prior reformatio non meminiſſe hujus cauſæ exheredandi, quia quis ſit hereticus, nondum erat per pacif. relig. definitum; poſterior vero debuiſſet eam ponere, quia anno 64. jam promulgata erit pax religioſa. Mihi itaque ſic videtur. Prior reformatio recenſebat ex jure Juſtinianeo illam cauſam exheredandi, quia Noriberga erat adhuc Romanæ religioni addicta, & adeo habebat etiam

iam Lutheri aſſeclas pro hæreticis. Poſterior vero reformatio omittebat, quia eo tempore Noriberga jam erat Evangelica, & pace religioſa jam parificata fuerat religio Romano-Catholica cum Evangelica, tertia vero religio non debebat tolerari, ergo caſus exheredationis amplius non videbatur facile dabilis.

§. LIV. Pergendum nunc eſſet ad cauſas exheredationis parentum. Sed cum hic in reformatione tam priore quam poſteriori, etiam ubi vel inter ſe vel a Jure Juſtinianeo diſcrepant, nihil occurrat, quod non jam ſit notatum in præcedentibus, nolumus cum tædio lectoris ea hic repetere.

§. LV. Denique quod fratres attinet, etſi jus Romanum velit fratres & ſorores conſanguineas inſtitui, iisque querelam concedat, ſi turpis perſona ſit inſtituta *l. 27. C. de inoff. teſtam.* niſi ex juſtis cauſis & tum exheredati fuerint, quæ recenſentur *Novella* 22. *c. 47.* Jure tamen Noribergenſi hæc omnia ceſſant & ſimul ceſſant omnes controverſiæ, quas Doctores movere ſolent in explicatione illorum textuum, vel etiam de computanda fratrum legitima. Equidem in priore Reformatione nihil deprehendere potui quod ea de re cautum ſit. At in poſteriore verbis expreſſis conſtitutum eſt *d. tit. 29. art. 8.* So einer Freund hat, als Brüder, Schweſtern, Vettern oder dergleichen ihme auf die Seiten verwandt, dieſelben iſt er wieder ſeinen guten Willen zu Erben einzuſetzen oder ihnen viel oder wenig zu ſchicken nicht verbunden, er habe gleich in auf- oder abſteigender Linien Erben oder nicht. Es iſt auch von unnöthen, ſie zu enterben, oder auszuſchlieſſen, denn es ſtehet in eines jeden teſtirers freyen Willen, ſolchen Seiten verwandten Freunden etwas oder nichts zu verordnen.

FINIS.